


Quæ sit maxima differentia sectionum æquinoctialis & zodiaci. Cap. X.



Imili modo, quæ de mutatione obliquitatis signife-
ri & æquinoctialis exposita sunt, comprobabimus
recte se habere. Habuimus enim ad annum secun-
dum Antonini apud Ptolemæum anomaliam sim-
plicem examinatum partium xxi & quartæ, sub qua reperta
est obliquitas maxima partium xxiii , scrup. li , secundorum
 xx . Ab hoc loco ad nostrum obseruatum sunt anni circiter m.
 ccclxxxvii , in quibus anomalix simplicis locus numeratur
part. cxlv , scrup. xxiii , ac eo tempore reperitur obliquitas
part. xxiii , scrup. xxviii , cum duabus ferè quintis unius scru-
puli. Super quibus repetatur abc circumferentia zodiaci, uel pro
ea recta propter eius exiguitatem, & super ipsam anomalix sim-
plicis hemicyclium in b polo, ut prius. Sitq; a maximus declina-
tionis limes, c minimus, quorum scru-

tatur differentiam. Assumatur ergo ae
circumferentia parui circuli partium
 xxi , scrup. xv , & reliqua quadrantis bd
partium erit lxviii , scrup. xlv . To-
ta autem edf secundum numerationẽ
part. cxlv , scrup. xxiii , & reliqua



df part. lxvvi , scrup. xxix . Demittantur eg & fk perpendi-
culares diametro abc . Erit autem gk circumferentia maximi cir-
culi, propter differentiam obliquationum à Ptolemæo ad nos
cognita, scrup. primorum xxii , secundorũ lvi . Sed gb rectæ
similis, dimidia est subtendentis duplum ed , siue ei æqualis par-
tium 932 , quarum fuerit ac instar dimetientis part. 2000 , quarũ
esset etiam kb semisis subtendentis duplum df part. 973 , datur
tota gk partium earum 1905 , quarum est ac 2000 . Sed quarum
 gk fuerit scrup. primorum xxii , secundorũ lvi , erit ac scrup.
 xxiii proxime, inter maximam minimamq; obliquitatẽ dif-
ferentia quam perscrutati sumus. Qua constat maximam fuisse
obliquitatem inter Timocharim & Ptolemæum partiũ xxiii .
scrup. lii , cõpletorũ, atq; nunc minimã appetere partiũ xxiii .
scrup.